

communis opinio id teneat, peccatores et infideles suos etiam habere Custodes Angelos qui salutem eorum procurare intendant, eosque non deserant nisi momento quo illorum damnatio consummatur.

Plures etiam contendunt principem daemoniorum, Deum imitari volentem, speciales deputavisse diabulos qui singulos homines tentarent, et ad malum, quantum possent, inducere quererent. Haec sententia nullo innixa est fundamento ex Scriptura aut traditione clare deducto; id unum habemus certum, multos existere angelos malos, nos circumstantes et ad malum inclinantes, a quibus praecavere et abhorrire debemus.

*De Sanctis Veteris Testamento.*

Controversia movetur inter theologos an viri sancti Veteris Testamenti canonizari possint. *Bened. XIV* advertit, de Canoniz. Sanct., l. 1, cap. 14, n. 2, hanc controvrsiam esse inutilem, quia sancti Veteris Testamenti ii sunt qui ante Christum viventes, in ipsum ut mediatorem et Redemptorem credentes, virtutibus aut martyrio illustres Deo placuerunt, et quos Deus sanctos esse in divinis Scripturis manifestavit; in eo autem casu absona esset summi Pontificis sententia qua definiretur eos esse sanctos et in universalis Ecclesia colendos. Verum summi est Pontificis decernere an cultus et qualis cultus publicus eis præstandus sit.

*Notandum est* omnes sanctos ante Christum defunctos ad Vetus Testamentum non pertinere; *Bened.* enim *XIV*, cum pluribus aliis, l. 4, part. 2, cap. 29, n. 2, ostendit S. Joannem Baptistam, S. Joseph, Innocentes ab Herode occisos, Zachariam, Elisabeth, Simeonem senem, Annam prophetissam, Joachim et Annam ad Novum Testamentum pertinere, quia ab Evangelistis laudati sunt, aut Christum viderunt, aut ipsum propinquitate seu carnis affinitate proxime attigerunt.

Nemo inter catholicos dubitat quin summus Pontifex eundem cultum hujusmodi Sanctis ac iis qui post mor-

tem Christi obierunt decernere valeat. Potest similiter permettere cultum, instituere festa cum officio et missa, in honorem aliorum Sanctorum ad Vetus Testamentum certo pertinentiam, et quorum sanctitas constat. Id sequitur ex natura rei et ex praxi Ecclesiae; apud Græcos enim honorantur ut sancti Abraham, Loth qui, licet in vino turpiter egerit, laudatur a B. Petro, II Epist. ii, 7, ut justus, quia aut non peccavit, aut poenitentiam egit; tres pueri fornacis, Ananias, Azarias et Mizacl; prophetæ Isaías, Jeremias, Daniel, Amos, Abdias, Jonas, etc. Apud Latinos ex sanctæ Sedis concessione, honorantur in aliquibus locis plures Sancti Veteris Testamenti; officia, missæ, templa, altaria eis dedicantur, v. g., Eliæ, præsertim apud Carmelitas; Abraham et Job, apud patres congregationis Oratorii Domini Jesu.

Existit difficultas circa cultum Enoch et Eliæ exhibatum; quia, ut *Bened. XIV* probat, l. 1, cap. 14, cultus religiosus decerni non potest hominibus adhuc viventibus, quantumvis habeantur ut sancti, et duo illi patriarchæ non mortui sunt, sed translati fuerunt, ut patet ex IV Reg. II pro Eliæ, et Epist. ad Hebræos, xi, 5 pro Enoch. Verum illustris Pontifex respondet Ecclesiam non celebrare festum Eliæ ut beati, sed ut divinitus rapti, et aliunde dici posse ambos in gratia et perseverantia esse confirmatos; in hac autem hypothesi evanescit difficultas.

*De Sanctis Novi Testamento.*

De iis solum pauca dicemus quorum publica nunc fit officium in ecclesia Gallicana.

1º S. *Marcus*, die 25 aprilis. Erat Evangelista, B. Petri discipulus, et Alexandrinus episcopus. Die 25 aprilis, anno 68, post multa tormenta, occubuit martyr pro Christo. Reliquiæ ejus diu religiose asservatae sunt Alexandriæ, unde translatae sunt, ut fertur, versus annum 815 Venetiam, et ideo Venetiarum respublica hunc Sanctum elegit pro patrono.

Hac die fit processio et magna cantatur Litania seu sup-

placatio a S. Gregorio Magno instituta pro obtinenda pestis cessatione : in septimo saeculo jam affixa erat diei 25 aprilis ; concilium Aquisgramense , anno 836 celebratum , et Capitularia Caroli Calvi illam eodem die faciendam in Gallia prescripserunt. Tempore S. Gregorii jejunium in illo die erat de pracepto. Nunc, propter tempus paschale, non est, in plerisque dioecesibus, obligatio jejunandi , sed tantum a carnis abstinentia.

2º S. Joannes Baptista, die 24 junii. S. Joannes, minister archangeli Gabrielis annuntiatus, per miraculum in utero sterilis ex viro sene conceptus, ad presentiam Domini exsultavit, sanctificatus fuit, et inter miracula natus est; vitam cœlestem duxit, penitentiam predicavit, Christum annuntiavit, indigitavit, baptizavit et magnum humilitatis præbuit exemplum ; fortiter obstitit Herodi in commercio incestuoso viventi , dicens, Marc. xvi , 18 : *Non licet tibi habere uxorem fratris tui;* propterea in carcerem missus, petente Herodiade, fuit decollatus , et meruit ut Christus de illo diceret , Matth. xi , 11 : *Non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista.*

Dies ejus Decollationis est celebris; sed præcipua ejus solemnitas fit die ipsius Nativitatis , et antiquissima est in Ecclesia : S. Aug. septem habet sermones pro illa solemnitate, quam supponit jam esse antiquam et universalem ; haec habet Serm. 290 , 4 , in Natali Joannis Baptiste : « Quia in magno sacramento natus est Joannes, ipsius solius justi natalem diem celebrat Ecclesia. Et natalis Domini celebratur, sed tanquam Domini. Date mihi alium servum, præter Joannem, inter Patriarchas, inter Prophetas, inter Apostolos, cuius natalem diem celebret Ecclesia Christi. Passionum diem servis plurimis celebramus; nativitatis diem, nemini nisi Joanni. »

3º SS. Petrus et Paulus, die 29 junii. Petrus , ex pescatore factus discipulus Christi, Apostolus et princeps ac caput Apostolorum , sedem prius habuit Antiochiæ , deinde Romæ , ubi eam per viginti quinque annos tenuit , juxta Eusebium, S. Hieron., et Calendarium Romanum a Buchenio editum. In carcerem Mamertinum sub Nerone conjecturatur.

tus cum B. Paulo, ibi manserunt octo mensibus, ut fertur ; Processum et Martinianum, custodes, et quadraginta septem alias utriusque sexus personas ad fidem adduxerunt ; postea damnati, Petrus ad crucem ut Judæus, et Paulus ad capitis amputationem ut civis Romanus, mortem die 29 junii subierunt extra muros civitatis. Petrus humilitatis causa petiit et obtinuit ut capite deorsum posito crucifigeretur. Corpora utriusque Apostoli religiosissime servantur Romæ, unum in Basilica Vaticana S. Petri, et alterum in basilica S. Pauli, juxta viam Ostiæ, a Constantino Magno constructa et anno 1823 infante igne incensa. Eorum capita in figuris argenteis inclusa in basilica Lateranensi custodiuntur. Sanctæ ac pretiosæ illæ reliquiae a peregrinantibus totius orbis catholici visitantur.

Percelebris semper fuit Romæ memoria Petri : *Ostendatur mihi Romæ,* inquit S. Aug. Enarrat. in Psal. XLIV, *in honore tanto templum Romuli, in quanto ibi ostenditur memoriam Petri.* Idem S. Doctor plures habet sermones in Natali Petri et Pauli. Tertium ex his sermonibus sic incipit : *Hodiernum nobis diem festum fecit sanguis Apostolorum.* Hinc sequitur hanc festivitatem utriusque Apostolorum esse perantiquam et veneratione nostra dignam.

4º Festum Omnia Sanctorum , die 1 nov. Imperator Honorius prohibuerat ne Christiani templa idolorum everterent, volens ea conservare tanquam artium monumenta : Bonifacius IV, videns celebre Pantheon a Marco Agrippa sub imperio Augusti exstructum adhuc extare, illud mundare et reparare statuit ; solemniter illud, anno 607, B. Mariæ et omnibus martyribus ac confessoribus dedicavit , illucque transferri jussit plus quam viginti et octo plautra ossium sanctorum martyrum , quæ divisa in varis Romæ cœmeteriis jacebant. Unde haec ecclesia dicta est Sancta Maria Rotunda, ob ipsius formam, et etiam Sancta Maria ad Martyres.

Tale fuit exordium solemnitatis Omnia Sanctorum , quæ celebrabatur Romæ die 13 maii, die anniversaria predictæ dedicationis : Gregorius III eam ad Ecclesiam universalem propagavit, et Gregorius IV diem 13 maii in

1 nov. mutavit, eo quod abundantior esset annona in mense novembri quam in mense maio; tunc enim innumeri advenae confluebant Romam ut solemnitati assistarent. Hic ultimus Pontifex, cum venisset in Galliam anno 837, regnante Ludovico Pio, festivitatem Omnis Sanctorum secum introduxit, quae brevi fuit adoptata et facta est universalis in Galliis sicut in aliis regionibus.

5º *Commemoratio fidelium Defunctorum*, die 2 nov. Consuetudo orandi pro defunctis venit a traditione Apostolica; et fundamentum habet in praxi totius Ecclesiae, in decretis conciliorum et in sacris paginis, tum Novi, tum Veteris Testamenti, ut alibi probavimus: nulla autem erat dies specialiter destinata ad orandum pro omnibus fidelibus defunctis. S. Odilo, abbas Cluniacensis, anno 1048 mortuus, statuit ut in cunctis monasteriis sibi subjectis sicut die 1 nov. omnes coluntur Sancti, ita 2 die pro omnibus oraretur defunctis: quidam putant eum exemplar hujus generalis commemorationis omnium defunctorum ab Amalario, ducentos annos ante ipsum vivente, accepisse, monasteriis suis præcepisse, et eo suggestente, Joannem papam XIX hanc proxim ubique servari mandavisse. Joannes autem XIX, anno 1024 electus, anno 1033 mortuus est.

6º *S. Stephanus protomartyr*, die 26 decembris. Unus fuit e septem primis diaconis; plenus erat gratia et fortitudine, et faciebat prodigia et signa magna in populo. Act. VI, 8: quidam de Judæis surrexerunt, disputantes cum Stephano, et non poterant resistere sapientiae et Spiritui qui loquebatur, ibid. Adhibitis falsis testibus, eum accusarunt blasphemiae adversus Moysen et Deum: ille autem mirabili sermone, in cap. VII Actuum relato, judicibus suis locutus est; Judæi eum audientes ipsis exprobrantem quod legem Dei non custodirent, dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus in eum. Ille vero, cœlesti visione donatus, ait: *Ecce video cœlos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei.* Tunc Judæi exclamaverunt eum blasphemare; sententia non exspectata, traxerunt eum tanquam blasphemum extra civitatem, et

lapidaverunt illum Deum iuvocantem et pro lapidantibus orantem.

Passus est ergo et obiit, juxta Chronica cum Operibus Eusebii a Scaligerio publicata, die 26 decembris ejusdem anni quo Christus fuit crucifixus. Cultus ejus semper fuit celebris: *S. Aug.* a sermone 314 ad 325 de illo mirifice loquitur, de ejus natali, de ejus solemnitate, de mirabili corporis ejus inventione, de reliquiarum translatione, de manifestis miraculis intercessione ejus patratis, etc.

7º *Dedicatio Ecclesiæ*, dominica post octavam Omnis Sanctorum. In Veteri Testamento triplex solemnis describitur templi Jerusalem dedicatio, una sub Salomone, secunda post captivitatem Babyloniam sub Esdra, et tertia sub Iuda Machabæo, qui, post impietas Antiochi, templum et altare purificari ac de novo dedicari voluit. Dies anniversaria harumque dedicationum solemnis erat, et per dies octo celebrabatur. Sub nova Lege, ubi deseruit persecutio, ingentes cœperunt aedificari ecclesiæ quæ solemni ritu dedicabantur, ut in toto historia ecclesiasticae decursu legitur: anniversarium hujusmodi dedicationum erat ubique festum solemne, et, cum variae ecclesiæ diversis temporibus fuerant dedicatae, contigerat ut anniversaria eodem die non celebrarentur, ideoque card. Caprara, mandante Pio VII, statuit, « ut anniversarium dedicationis templorum quæ in Gallicanæ reipublicæ territorio erecta sunt, in dominica quæ octavam festivitatis Omnis Sanctorum proxime sequitur, in cunctis Gallicanis ecclesiis celebretur. » Indult. diei 9 aprilis 1802. Hinc omnes, sive privatum in officio, sive publice, hanc festivitatem eodem die et eodem ritu celebrant, sive propria ecclesia fuerit consecrata, sive fuerit tantum benedicta; simplex enim benedictio jus non dabat ad officium dedicationis quotannis celebrandum.

*Notandum* 1º festum Dedicacionis Ecclesiæ habendum esse ut festum Domini, ex decreto S. Rituum Cong. diei 27 martii 1779. *Romsée*, edit. 1838, t. 5, p. 201, aliam citat ejusdem S. Cong. responsionem, 4 jun. 1825, in sensu oppositum.

Quidquid sit de illa responsione, *Gardellini*, qui eam non refert, ait, t. 7, p. 57 : « Invaluerat opinio quod anniversarium Dedicationis ecclesiae, ut potest festum Domini, alia omnia praestaret, tam in occurrentia quam in concurrentia; sed quoniam rubrica nihil decernit, imo in tabella concurrentiae vix illud ponit solummodo ante patronum loci vel titularem ecclesiae; quoniam insuper ex ea opinione plura oriebantur dubia, re maturius discussa, S. Rit. Cong. satius duxit se conformare tum præfatae tabellæ dispositioni, tum decretis antiquis, quæ prælationem dant aliis festis æqualis ritus, uti illa sunt S. Joannis Baptiste et Omnium Sanctorum. » Ratio ab illo allegata est quia in eo festo Dominus generaliter tantum respicitur, quod fit etiam in festis Sanctorum.

*Notandum* 2º in ipsomet die Dedicationis officium a clero ecclesiae consecrandæ addicto recitandum, quod, ex resp. S. Rit. Cong. 7 maii 1746, ab episcopo consecratore recitari potest, esse ipsum anniversarii officium. Ex responsione 7 dec. 1844 ad nos directa, *inchoandum est peracta consecratione, ab Hora minori tertia*. A fortiori missæ privatæ ante completam consecrationem celebrari nequeunt. *Merati*, t. 3, nobis 302 et expressius 306. Vide quæ diximus, t. III, p. 245 hujus editionis.

#### ARTICULUS QUARTUS.

##### DE RITU CELEBRANDI FESTA.

Singulas officium recitandi et festa celebrandi regulas hic certe non intendimus referre aut explanare: unusquisque eas legere debet in rubricis tum generalibus, tum particularibus. Quædam tantum paucis verbis dicemus, 1º de festis suppressis, 2º de festis translatis, et 3º de festo patroni et titulari.

##### *De Festis suppressis.*

Cardinalis Caprara, per indultum modo citatum, diei 9 aprilis 1802, ex mandato summi Pontificis, quatuor

##### DE PRECEPTIS ECCLESIAE.

tantum reseruavit festa præter dies dominicos, videlicet Nativitatem Domini nostri Jesu Christi, ejus Ascensionem, Assumptionem B. Virginis Mariae, et festum Omnium Sanctorum: « ita ut posthac, in reliquis festis diebus, omnes Gallicanæ reipublicæ incole non solum a præcepto audiendi missam vacandique ab operibus servilibus, sed a jejunii etiam obligatione in diebus qui festa hujusmodi præcedunt prorsus absoluti censeantur et sint. »

Eam tamen legem adjectam esse voluit summus Pontifex « ut in festis diebus vigiliisque eos præcedentibus, quæ suppressæ decernuntur, in omnibus ecclesiis nihil de consueto divinorum officiorum sacrarumque cæremoniârum ordine ac ritu innovetur, sed omnia ea prorsus ratione peragantur qua hactenus consueverunt, exceptis tamen festis Epiphaniae Domini, sacratissimi Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et sanctorum patronorum cuiuslibet dioecesis et parœciae, quæ dominica proxime occurrente in omnibus ecclesiis celebrauntur. »

Itaque in festis simpliciter suppressis, quæ sunt, in dioecesi nostra, Circumcisio Domini, Purificatio B. Mariæ Virginis, Annuntiatio, feria secunda et tertia Paschæ, feria secunda Pentecostes, Nativitas S. Joannis Baptiste, Nativitas B. Mariæ Virginis, Commemoratio omnium Deficitorum, Conceptio B. Mariæ Virginis, et festum S. Stephani, remanet obligatio officium privatum recitandi et solemnitatem publice in ecclesiis celebrandi, nulla vero missam audiendi et ab operibus servilibus vacandi. Quoniam tamen plurimis in locis fideles ab operibus servilibus abstinebant his diebus, dum alii eis vacabant, et nociva inde nascebatur varietas inter dioeceses, parochias et familiias, cardinalis Caprara, rogante gubernio, die 6 juli 1806, omnibus scriptis episcopis, in memoriam revocans obligationem audiendi missam et ab operibus servilibus abstinendi in diebus festis suppressis sublatam esse, et expedire ut parochi aliquique viri ecclesiastici a sono campanarum et alia exteriori pompa in festis de præcepto consueta temperarent. Plures episcopi, v. g., Cenomanensis, Andega-

vensis, a ministro cultuum et praefectis vexati, ex consilio legati *a latere* hujusmodi festa ad dominicam proximam remiserunt, excepta Circumcisione Domini, quam gubernium agnoscebat ut festum civile, et ideo celebrationem officii non impediebat. Nunc communiter illa propriis diebus, juxta indulti verba, celebrantur et annuntiantur ut festa devotionis.

Indulgentiae praedictis festis aunexae nullam, ob suppressionem, subierunt mutationem.

*De Festis translatiis.*

Festa Epiphaniæ, Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, ac patroni dioecesis et parochiæ non fuerunt suppressa, sed ad dominicam proxime occurrentem translata, ut patet ex verbis indulti supra citatis. Plura inde nata sunt dubia, quæ a diversis episcopis cardinali legato *a latere* proposita, soluta sunt per responsiones speciales eundem sensum habentes ac sequens ad episcopum Camberiensem: « Priusquam dubiis propositis respondeam, » opportunum duco quasdam explicationes premittere, » quæ nonnullis jam Galliarum episcopis date sunt, ut » questionibus fieret satis quæ super intelligentia indulti » diei 9 aprilis 1802 quoad aliquorum festorum translationem fuerant ab illis expositæ.

» 1º Officia Epiphaniæ Domini, sacratissimi Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et SS. patronorum cuiuslibet dioecesis et parochiæ, recitanda erunt a clero, tam privatum quam publice in ecclesiis, et missa de iisdem dicenda in suo proprio die.

» 2º In dicto proprio die fideles neque ad audiendam missam, neque ad abstinentiam ab operibus servilibus obligati erunt.

» 3º Sola solemnitas præfatorum festorum differtur in dominicam subsequentem, in qua officium quidem a clero tam publice quam privatum, et missa recitabitur de dominica seu de festo occurrente, juxta calendarium. Canetur tamen una missa solemnis de festis illis more

» votivo cum unica oratione: minime omissa in cathedralibus aliisve ecclesiis, in quibus officium publice agatur, » et adsit sufficiens numerus ecclesiasticorum, alia missa » conventuali de dominica vel festo occurrente.

» Quibus positis, venio ad dubia proposita, quibus hoc sit responsum:

» 1º Si in unam eamdemque dominicam incidat solemnitas translata, prout supra n° 3 declaratum est, tum anniversarii Dedicationis, tum patroni, ea solemnitas celebranda erit de digniori, scilicet de Dedicatione, trans lato minus digno, id est festo patroni, ad primam dominicam non impeditam, juxta rubricas.

» 2º Si dominica ad quam, juxta indultum reductionis festorum diei 9. aprilis 1802, transferenda esset solemnitas patroni, sit dies propria S. Joannis Baptiste, tunc solemnitas patroni transferenda erit ad primam dominicam non impeditam, juxta rubricas, ne scilicet, cum festum S. Joannis sit ejusdem ritus, nec transferri possit, duplex solemnitas primæ classis eadem die in una ecclesia peragatur.

» Novis apud plurimos exortis dubiis, eo quod, juxta istud responsum, transferri debeant in dominicam subsequenter festa quæ indultum decrevit celebranda in dominica proxime occurrente, quæ a permultis credebatur dominica proximior, opportunum ductum est denuo consulere Apostolicam legationem, cuius responsum omnem tulit difficultatem, et quod dubium videbatur explanavit declarando hæc verba indulti, in dominicam proxime occurrentem, intelligenda esse de dominica proxime sequente, quoniam dominica quæ occurrit est illa quæ supervenit. » Hæc responsio refertur in Rituali Bellicensi, t. 3, p. 217, 4<sup>e</sup> edit. sine epocha seu data. Conformis est alteri responsioni ejusdem cardinalis, diei 21 junii 1804, apud Romsée relatæ, t. 5, pag. nobis 232.

Cum in indulto card. Caprara agatur tantum de translatione festorum patronorum cuiuslibet dioecesis et parochiæ, sequitur episcopum ordinare posse quod respicit ad festa patronorum secundariorum, et titularium non

patronorum, festa patronorum capellarum, communia-  
tum, etc.

Octava igitur festi translati ipsomet die in quem cadit  
incipit, non vero die quo celebratur ipsius solemnitas pro  
populo.

Indulgentia cum solemnitate ad diem dominicam trans-  
fertur, ex Rescriptis ad archiepiscopum Mechlinensem,  
die 21 junii 1704, et ad episcopum Camberiensem direc-  
tis, et ex Brevi Pii VII ad archiepiscopum Lugdunensem,  
die 13 aug. 1805 : an ista Rescripta sint actus jurisdictionis  
ad proprias Mechlinensem, Lugdunensem et Cam-  
beriensem dioceses limitati, an vero decisiones generales,  
hæremus dubitantes, et probabilius estimamus indulgen-  
tiām non transferri jure communi, nisi officium simul cum  
solemnitate transferatur, ut notavimus in Tractatu de In-  
dulg.

*Notandum* 1º festum S. Joannis Baptiste apud nos esse  
ritus solemnis minoris, ac proinde festo patroni et festo  
sanctissimi Corporis Christi cedere.

*Notandum* 2º quod si dominica proxime sequens sit  
1º classis, non magis admittat solemnitatem festi translati  
quam admireret festum 1º classis occurrentis. Solemni-  
tas igitur in aliam rejicienda est dominicam non impedita.  
Idem dicendum est si ipsa dominica occurrat aliquod  
festum ex iis quæ memorabimus infra agendo de patrono.  
Cum autem dominica 2º classis, ex rubricis Breviarii, ad-  
mittant festa 1º classis occurrentia, et cum, virtute indulti  
9 april. 1802, illæ dominicae occurentes sint propriæ dies  
solemnitatis festorum translatorum, quæ omnia sunt primi  
gradus, videtur quod solemnitas hujusmodi festorum  
dictis dominicis celebrari debeat, sicut apud nos fieri con-  
suevit.

Variæ decisiones romanae supponunt solemnitatem sem-  
per transferendam esse in posterum, et nunquam antici-  
pandam. Attamen apud nos auctoritate episcopi dice-  
sani quandoque anticipatur, si nempe diutius exspectanda  
esset dominica non impedita.

*Notandum* 3º quod, ex decreto Cong. Rit. diei 26 nov.

1735, officia Sanctorum quæ de mense decembri ali-  
quando supersunt, ad dies anni sequentis non impeditos  
transferri non debeant, nisi tamen ad dies qui sint intra  
octavam festi, juxta Romsée (t. 5, p. 27 et 218); igitur vel  
eorum tantum fit commemorationis, si rubricæ permittant,  
vel prorsus omittuntur hoc anno.

*De Festis Patroni et Titularis.*

1º *Patronus*, a *pater* derivatus, ille communiter intelli-  
gitur qui alios suscepit defendendos : verbum igitur patro-  
ni, maxime in liturgia ecclesiastica, ideam importat inferioris protegendi et superioris placandi, vel orandi aut supplicandi. Unde personæ divinæ, mysteria Dei aut Salvatoris, aut B. Mariæ, v. g., Conceptio, Nativitas, Assumptio, proprie dici non possunt patroni, quia non habent superiorem orandum aut placandum, vel spectari non pos-  
sunt ut intercessores. Sanctissima vero Maria, considerata ut persona, omnes Sancti et Angeli in cœlo regnantes et in  
Martyrologio Romano inscripti, eligi possunt ut patroni,  
quia nos inferiores apud Deum superiorem protegere pos-  
sunt. Universali autem ac perpetua consuetudine sanctum  
est ut quævis ecclesia in honorem alicujus mysterii  
vel Sancti aut Sanctæ erigeretur : si prius, persona divina  
aut mysterium dicitur titulus aut titularis ecclesiae ; si  
posteriorius, Sanctus vel Sancta vocatur Patronus vel Pa-  
tronæ ecclesiae et loci ab ea dependentis. Si non esset loci  
ab ecclesia dependens, aut si alias esset patronus  
loci, Sanctus vel Sancta sub cuius invocatione erecta esset  
ecclesia, illius titularis, et non proprie Patronus nuncu-  
paretur.

2º Ex decreto S. R. Cong. ab Urbano VIII 23 martii  
1630 approbato, nullus constitui potest civitatis vel ali-  
cujus loci patronus, nisi 1º sit sanctus ab universalis Ecclesiae  
titulo Sancti excultus, non autem simpliciter beatificatus;  
2º sit electio totius populi per secreta suffragia;  
3º cleri et ordinarii loci accesserit consensus; 4º electio a  
sacra Rituum Congreg. fuerit examinata et approbata.

Hæc autem stricte non applicantur electioni titularis neque patroni secundarii, quos in populo feriari non est obligatio. (V. *Gav.* et *Merat.*, t. 3, p. 96 et seq.) Cæterum hoc decretum non servatur apud nos, sed patroni locorum ab ordinariis, ex voto cleri et populi, absqu<sup>e</sup> electione proprie dicta, eis manifestato, assignantur.

Episcopus potest etiam, quando judicat sufficientem adesse rationem, patronum secundarium assignare ecclesiæ quæ nondum habuit, vel patronum aut titularem jam habitum pro alio mutare, quamvis hujusmodi mutationes vel assignationes facile non debeat admittere. S. Rit. Cong. 6 april. et 16 julii 1658 eas prohibuit, quando agitur de patrono a populo electo et a sancta Sede approbato.

3º Patronus et titularis in duobus potissimum differunt: 1º in eo quod patronus loci per se importet festum in populo, ex consuetudine et legibus Ecclesiæ; non item titularis: unde in civitatibus et oppidis communem pro toto loco patronum habentibus, ecclesiæ in iis existentes solum patronum titularem habent, et olim in sola die festi patroni loci erat obligatio audiendi missam et ab operibus servilibus abstinendi; nunc autem, cum solemnitas patroni ad dominicam occurrentem transferatur, nulla est difficultas in populo, et præcedens differentia amplius non existit, stricte loquendo; 2º in eo quod locus communiter non habeat nomen patroni, dum ecclesia sub nomine sui titularis designari solet, v. g., ecclesia Sanctæ Crucis, S. Salvatoris, Conceptionis, Visitationis B. Mariae, etc.

4º S. Rit. Cong. die 13 sept. 1632 et die 21 junii 1720 definierat festum sive patroni, sive etiam titularis simplicis ecclesiæ parochialis aut capellæ tantum benedictæ, celebrandum esse sub ritu duplicitis 1º classis, utrumque cum octava a clero facienda.

5º Episcopi provinciæ Turonensis, in suo communi mandato, die 8 maii 1780, iam a nobis citato, statuerant 1º festum patroni principalis diœcesis propria die sua celebrandum esse; 2º festum patroni secundarii, ubi esset, ad

dominicam proximiorem transferendum; 3º festum patroni principalis uniuscujusque parochiæ ad dominicam præcedentem remittendum fore, si feria secunda, aut tertia, aut quarta incideret, et ad dominicam sequentem, si feria quinta, aut sexta, aut sabbato adveniret; 4º ex hypothesi quod dominica præcedens aliquo solemnii festo in tota diœcesi celebrato impediretur, festum patroni ad dominicam sequentem transferendum esse, et si dominica sequens esset impedita, dominica præcedente anticipandum fore. Vidimus autem quid indultum diei 9 aprilis 1802 statuerit. Nulla est differentia in modo celebrandi festum patroni et festum titularis: utrumque est ritus primæ classis, apud nos ritus annualis et cum octava.

6º Officium patroni locum habere non potest dominicis 1ª adventus, 1ª Quadragesimæ, Passionis, Palmarum, in Albis, Paschatis, Pentecostes et Trinitatis, nec dominicis in quibus celebrantur festa Circumcisionis, Epiphaniæ, Præsentationis Domini, Annuntiationis, Corporis Christi, SS. Cordis Jesu, SS. Apostolorum Petri et Pauli, Assumptionis, Nativitatis B. Mariae Virginis, Omnia Sanctorum, Dedicationis, Nativitatis Domini, Vigiliæ Nativitatis et Epiphaniæ Domini; nec etiam, apud nos, in dominicis in quibus fieret de quocumque solemnii majore occurrente. In ritu Romano excipiuntur adhuc Octava Epiphaniæ et Nativitas S. Joannis Baptistæ, sed non Purificatio, Annuntiatio et Nativitas B. Mariae Virginis, nec festum SS. Cordis Jesu.

7º Octavæ prohibentur a die 17 decembris usque ad diem Epiphaniæ inclusive in ritu Romano, exceptis iis quæ cum solemnitate Nativitatis Domini celebrantur, scilicet SS. Stephani, Joannis et innocentium: apud nos vero a die 15 usque ad Natale Domini; et, in utroque ritu, a feria quarta Cinerum usque ad dominicam in Albis inclusive, pariter a Vigilia Pentecostes inclusive usque ad dominicam Trinitatis: octavæ jam incepentes cessant, nec tamen dies octavæ anticipantur.

8º Si festum patroni alicujus parochiæ vel titularis ecclesiæ quotannis in diem prohibitum incidat, recurrentum

est ad episcopum, qui alium determinabit diem in quo officium ejus cum integra octava celebrari possit.

9º Ad officium patroni regni, provinciae, dioecesis, oppidi, tenentur omnes clerici sacris Ordinibus initiati et in territorio ejus degentes, quod videtur etiam intelligendum, saltem ex consuetudine, apud nos de patrono *parochiae*, quem supra definivimus : ad officium titularis tenentur clerici servitio Ecclesiae adscripti vel quovis beneficio, etiam tenui, in ea fruentes. (S. Rit. Cong. 15 septembbris 1742 et 16 maii 1744.)

*Notandum* quod, ex diversis S. Rit. Cong. decisionibus, omnes hi patroni non possint simul stricte obligare, sed ordinarie duo tantum (*Merati*, t. 3, p. 99), v. g., provinciae et oppidi. In Galliis communiter dantur solummodo patroni dioecesis et parochiae. Quandoque tamen sive parochiae sive dioecesis duplex est patronus principalis æquali obligatione celebrandus.

10º Regulares obligantur ad officium patroni regni, provinciae, dioecesis, civitatis vel oppidi in quo morantur, ex decreto S. Rit. Cong. diei 20 martii 1683, sed absque octava. Non vero tenentur ad officium patroni, nec a fortiori titularis parochiae in qua demorantur, nisi sit cathedralis, ut respondit S. Rit. Cong. 20 martii 1683 et 14 septembbris 1705; neque patronorum minus principalium regni, dioecesis, oppidi, si qui sint, ex decis. 10 juli 1698.

11º Pastor duarum aut plurium ecclesiarum peræque unitarum sub jurisdictione sua, omnium patronorum festa et octavas de ritu 1<sup>o</sup> classis celebrare tenetur, prout S. Rit. Cong. declaravit 5 juli 1698. Si vero præfector sit unius ecclesiae parochiali quæ alias sub se habeat ecclesiæ annexas vel capellas, vel istæ specialem habent sacerdotem sibi adscriptum, vel non : in priori casu, parochus non tenetur ad officium patronorum particularium, imo illud recitare non potest aliter quam in suo Breviario notatur. In posteriori casu, plures affirmant parochum ad officium et octavam patronorum teneri, quia rubricæ volunt patronum et titularem cuiusvis ecclesiae aut capellæ saltem benedictæ celebrari. Hæc autem obligatio, aiunt, in dicto casu

soli parochio incumbere potest. Sciendum tamen quæ sit praxis in unaquaque diocesi recepta et ab episcopo approbata. Cum nulla hac de re existat lex generalis nobis nota talem celebrationem præscribens, dubium nobis non videtur quin episcopus statuere possit quod magis expedire judicabit. In nostra diocesi parochus habens in sua parochia capellas benedictas quibus non præsidiuntur speciales sacerdotes, officium et octavas patronorum non celebrat.

In nullo casu celebrantur festa patronorum capellarum domesticarum.

12º Qui ecclesiae annexæ vel capellæ deservit, tenetur ad officium et octavam patroni vel etiam titularis ejus, siquidem ei adscriptus est. An autem ad officium et octavam patroni vel titularis ecclesiae matricis teneatur, distinguendum est : vel in ea ecclesia ministerium sacrum exercet, beneficium aut jus aliquod casuale obtinet, vel nullo modo ei adscriptus est. In priori casu, tenetur, ex dictis, ad officium cum octava, tum patroni, tum etiam titularis; in posteriori vero, si agatur de titulari, non tenetur, ut patet ex dictis et ex responsione S. Rit. Cong. 17 augusti 1709, nisi forsan ecclesia matrix sit ipsa cathedralis : si autem agatur de patrono, probabilius est eum teneri, quia, ex consuetudine apud nos communiter recepta, patronus principalis ecclesiae parochialis, est eo ipso patronus loci, nisi forsan aliis sit pagi vel oppidi patronus de quo fiat officium ; quo in casu, prior habetur ut titularis ecclesiae. Saltem episcopus pronuntiare potest quid agendum sit.

Hæc, ut nobis videtur, applicanda sunt capellanis seu eleemosynariis hospitiorum, collegiorum, respectu patroni ecclesiae seu parochiae in cuius territorio existunt. Ab illa autem obligatione eximuntur regulares, nisi ecclesia principalis loci sit cathedralis, ut respondit S. Rit. Cong. 14 feb. 1705. Hinc, non solum in ecclesiis Benedictinorum, Trappensium, Patrum Societatis Jesu, etc., sed et in capellis monialium non cantatur missa patroni parochiae. Sed missa sine cantu a capellano coram monialibus ce-

lebrata debetne esse de patrono? Si capellanus principali ecclesiae sit adscriptus, affirmative, prasertim ubi Breviarium dicēsis recitare et missam ei conformem celebrare solet; secus, non. In dubio, quid faciendum sit dicat episcopus.

13º Alia restat difficultas solvenda, an scilicet, in capellis ad regulares non pertinentibus, festum patroni eodem ritu celebrandum sit ac in ecclesia parochiali, et an solemnitas debeat pariter in dominicam occurrentem transferri? Sententia affirmans sola videtur sequenda, nisi aliquod festum gradus saltem aequalis et eidem capella proprium, celebrandum occurreret: nam 1º S. Rit. Cong. respondens, 17 aug. 1709, officium et missam *titularis* ecclesiae parochialis non debere celebrari in capellis, supponit non ita esse de principali *patrono*; 2º festum patroni loci, v. g., provinciae, oppidi vel pagi, ritu solemnii et die dominica, quoad solemnitatem, celebraretur: et, ex more apud nos recepto, patronus ecclesiae parochialis est simul patrouus loci; ergo, etc. Hoc videtur pariter intelligendum de octava, tum in officio recitando aut cantando, tum in missa celebranda.

14º Quae praecedunt ad patronum propriæ dictum restringenda sunt, et non extenduntur ad patronum secundarium: officium patroni secundarii, ritu duplicis majoris in Romano (*Rub. de occurrentia, Gavantus et Merati*, t. 3, p. 97 et 99), ritu solemnis majoris in Cenomanensi, recitari debet ab omnibus et solis clericis ecclesiae servitio vel beneficio adscriptis: ratio est quia patronus secundarius ordinarie non reputatur patronus loci; idcirco a clericis in territorio parochiae degentibus, sed ecclesiæ non adscriptis, officium ejus regulariter non recitat. Consuenda est tamen consuetudo locorum et præsertim voluntas ordinariorum.

## CAPUT TERTIUM.

## DE JEJUNIO.

Jejunium in sua generali significatione importat abstinentiam a cibo. Quadruplex distinguitur: spirituale, morale, naturale et ecclesiasticum.

Jejunium spirituale est abstinentia a vitiis, juxta Prophetæ verba, Isai. LVIII, 6: *Nonne hoc est magis jejunium quo-l elegi? Dissolve colligationes impietas.* Unde S. Aug. Tract. 17 in Joannis Evang. « Jejunium magnum » et generale est abstinere ab iniquitatibus et illicitis voluptatibus sæculi, quod est perfectum jejuniū. »

Jejunium morale est continentia in cibi potusque sumptione juxta temperantiae regulas; jejunium naturale est abstinentia ab omni prorsus cibo et potu, quale est jejunium ad susceptionem sanctæ Eucharistiae requisitum; et jejunium ecclesiasticum est abstinentia a pluribus refractionibus certoque ciborum genere, juxta Ecclesiæ regulas. De illo solo hic agitur, et dicemus 1º de potestate Ecclesiæ jejunia præcipendi; 2º de jejunis ab Ecclesia præceptis; 3º de conditionibus ad jejunandum requisitis; 4º de causis a jejunio excusantibus, et 5º de iis qui ratione jejunii et abstinentiae peccant.

## ARTICULUS PRIMUS.

## DE POTESTATE ECCLESIAE JEJUNIA PRÆCIPENDI.

Plures veteres hæretici non solum jejunia non negabant, sed falsis quibusdam momentis innixi, ea ultra modum multiplicabant vel rigidiora faciebant; recentiores vero, ut Lutherani et Calvinistæ fatentes jejunia in veteri Lege fuisse præscripta, negant Ecclesiam habere potestatem obligandi Christianos ad jejunandum: contra quos sit